



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Cur petamus nobis dimitti debita, iuxta Matthaeum, & non peccata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

leuius est, nos condonare hominibus, qui non tantum in nos peccarunt, sicut nos in Deum, tamen Deus facilius est ad condonandum nobis, quam nos proximo. Habes itaque in hoc Dei verbum: si tu remittis proximo, & Deus iam magis paratus est tibi remittere. Quilibet homo coram Deo est peccator, & habet hic in terris inimicum etiam peccatorem contra se. Ideò facere debet cum debitore suo, sicut cuperet sibi fieri à Deo.

2. Perimus nobis dimitti debita, & non peccata: quia debitum se magis extendit, quam peccatum: Dicitur peccatum, quòdò iniuste facimus contra Dei preceptum: Debitum autem dicitur, quando bonum facere debemus, & non facimus, quòdò nò exoluimus, hoc quod Deo & proximo nostro debemus: vel etiam si fecerimus, non tamen facimus perfecte vel integre. Igitur quòdò iam peccatum propter fidem est dimissum, & facti sumus filij Dei, accepimus spiritum sanctum, qui iuuat nos certare contra peccata, & confortat ad bona opera, attamen adhuc non facimus perfecte quod facere tenemur, etiam si non aperte facimus contra eius mandata, quia tamen non facimus quæ tenemur, semper debitores manemus: & hoc debitum nobis dimittitur propter Christum, quando illum aut patrem propter hoc oramus, & quòdò proximo nostro indulgemus: semper enim debitores Deo manemus, id est, minus facimus quam debemus. Ex hoc apparet, quare nos nunquam per opera propria nostra possumus à peccato, morte & inferno liberari & iustificari: nam & bona nostra opera indigent indulgentia, quia non sunt perfecta, ideò oportet nos omnes per passionem & mortem, & resurrectionem Iesu Christi liberari: nam propter ipsius mortem & meritum promisit Christus nos liberari, non autem propter opera & merita nostra. Actorum, 10. capite: huic omnes prophetae testimonium perhibent,

perhibent, &c. & ibidem 15 cap. Gratia domini nostri Iesu Christi credimus nos saluari. Igitur hanc satisfactionem & indulgentias exigit à nobis Deus, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, 1 Ioan. 2. Sed non erit in nobis efficax, nisi & nos remiserimus.

Vbique testatur scriptura, nec orationem nec opus aliquod nostrum esse efficax coram Deo, nisi dimisso debito Marc. 11. cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & pater vester qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra: quod si vos non dimiseritis &c. Sacrificiū Cain, qui inuidebat fratri suo, Deus non respexit, Gene. 4. Neque munus altaris vult, fratre irreconciliato, Matt. 5. Rogandus est Deus pro duplici gratia: Primò, vt nobis remittat debita: eo enim omnes indigemus: deinde, vt donet nobis gratiam & adiutoriū suū, vt quoque proximo nostro possimus indulgere, alioqui nostra natura tarda est & tenax. Exemplo igitur Christi qui in cruce orauit pro crucifixoribus, vt pater illis dimitteret, Lucæ 23. & nos dimittere debemus, sicut Christus docet benefacere & orare pro inimicis, Matthæi. quinto. vt simus filij patris qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & donat pluiam &c illum patrem caelestem sequi debemus, non terrenū. qui sepe occasionē dat vindictæ & odij &c. Et quoniam Christus omnes iubet orare & petere dimissionem peccatorum & omnes sancti hanc orationē vsurparunt, & etiā dimiserunt debita proximis suis: sic & nos facere debemus, neque aliquis se factum existimet, quasi non habeat delicta: reliquæ enim peccatorum hærent in carne, etsi spiritus sit sanctus fide, quare & omnes homines sancti orarunt sibi dimitti delicta. Et nos quoque omnes debemus, ne nobis imputet Deus, sed condonet pro sua misericordia, &c.

DE